merken müfsen dafs in einer erzählung, eigentlich in zwei in einander verflochtenen (nr 50), der fuchs und wolf erscheinen. der erste theil ist mit dem märchen vom wolf und den sieben jungen geislein (Hausm. nr 5) verwandt, nur dafs der fuchs die stelle der alten geis vertritt; in dem zweiten bethört der fuchs seinen feind, indem er den wolf überredet, der im brunnen sich spiegelnde vollmond sei ein käs, und ihn antreibt das brunnenwafser auszuschlürfen um zu dem leckern bifsen zu gelangen. dann reizt er ihn über einen pfahl zu springen, wobei er sich aufspiefst.

WILHELM GRIMM.

HERMANNI CONTRACTI
CONFLICTUS OVIS ET LINI.

Tempore quo campi linum solet herba vocari,
cum sibi iam telas spondet anus dubias,
stans iuxta posito linum mirabar in arvo,
dum nodosa seges cor oculosque tenet.
talibus haerentem rapuit sibi lis nova mentem;
quam, quia digna stilo visa fuit, replico.
de grege (grex aderat) paulum submoto subintrat
calcatisque satis haec pede sternit ovis.
iam satis attritis post cursus incubat herbis
(herbida dat gratum terra refrigerium),
sicque iacens, sumptas revocans ut ruminet escas,
mittit ad os alia quod redit inde via.
herba (quis hoc credat? sed mutis paene ministrat
verba dolor magnus) non silet ulterius.

LINUM

De tot quas cernis, inquit, communibus herbis
ut quid ad hos usus complacui potius
in quam congereres foetenti vellere sordes,
quam pede contereres oreque pollueres?

OVIS

Est, ait, in reliquis cur parci debeat illis

Incipit conflictus ovis et lini *B*, Incipit collocutio invectiva ovis et lini *A*.
8. satis] i. e. seminibus *A*. 13. Verba *B*. 17. 18. quem *B*.

causa quod aut homini sunt cibus aut pecori:
sed te cum nullum tellus producat ad usum,
si sapias, gaudes quod vel ad ista places.

LINUM

Te pecoris bruti partem satis esse probasti.
hoc tamen interea vellere me releva,
quo spolianda, velis nolis, post pauca iacebis,
turpiter ante tuae vincta pedes dominae.
interea totas percurrens forpice lanas
nec caudae vellus foeda relinquet anus.
tunc erit in patulo scabies tua corpore nudo.
ulterius noli multiplicare loqui.

OVIS

Si recte saperes, consumi sponte rogares
vel pede vel potius subruta stercoribus.
vivis ut intereas et ne sis esse laboras;
tantum supplicio nasceris atque malo.
quis queat in quantas rapieris dicere poenas,
femineis manibus vulsa solo penitus?
prorsus ut intereas undisque soluta putrescas,
nigros trunca prius perpetiere lacus.
post longum tempus ab aqua transibis ad aestus,
ut possis minui sicca labore levi
ruricolas validos fortes contusa lacertos
prorsus lassabis tritaque malleolis.
cum iam perdideris quod habebas ante vigoris,
ibis femineo dedita ludibrio.
in ligno tensum, quod talem servit in usum,
de ligno factis te ferient gladiis.
o quoties structam iaculis ex mille coronam
transibis, quoties praetereundo gemes.
per tam terribiles rapiens tua viscera dentes
te violenta manus mille trahet vicibus.
cum nil restabit in te quod prendere possit
istud supplicium, tunc patiere novum:
astringit solidas panno pix illita setas,

21. at te *B*. 27. forcipe *A*. 28. Hec *B*. 40. brevi *B*.
41. Ruriculas *B*. varios *A*. 50. trahit *B*.

compositas aequis exterius stimulis:
hae scrutando tuas penitus penitusque medullas
consument totum, si quid erit reliquum.
herba modo viridis (frustra tumefacta superbis),
tunc tot trita modis nil nisi floccus eris,
ventis ludibrium, leve pondus in aera raptum.
ulterius noli multiplicare loqui.

LINUM

Parcius ipsa tamen nostrum profiteris honorem,
si bene discernis omnia quae loqueris.
nam labor humanus, sollers, ad lucra paratus,
pro quo sic sudat non nihil esse putat.
mille modis tritum transfertur in horrea granum,
cum per pressuras exuerit paleas.
non cellas subeunt, non reges antea pascunt
quam careant acinis libera vina suis.
tunsio crebra parat quod templa suus lapis ornat;
sic capiunt formas ligna dolata suas
vis pressura cruces tormenta pericula mortes
praemia promeritas purificant animas.
subsidium lini quaerit res publica mundi;
publica causa petit, publica cura colit;
in commune rogant ac in commune laborant;
unus quisque suis me parat officiis.
unica res linum, quam conditor utile donum
rebus mundanis post elementa dedit.
sed quia me sub aquis solvi putredine dicis,
in te verte tuos, ut taceas, oculos.
a turpi turpis abstracta cadavere pellis
in tectum trahitur sole cremanda diu;
et simul incocto nigrescit tota veneno,
indurata subit balnea digna sibi:
balnea sunt farris et aquae confectio putris,
vilior in vili vase putrescis ibi.
hic qui te mersit quoties te fuste movebit!
nares distorquet et caput hinc removet:

55. Ne *B*. 56. Consumunt *B*. 57. frustra *A*: quae nunc *B*. 65. transfert *B*. 67. poscunt *B*. 69. quod *A*: dum *B*. 82. cremata *A*. 83. ut *B*.

tantus enim sese foetor protendit ubique
ut fugiant ipsi saepe domum domini.
cetera quo sileam (nam plurima cetera restant),
ulterius noli multiplicare loqui.

OVIS

Cum te magnifices, cum de te grandia iactes,
si taceam, reputor forsitan inferior.
sufficiunt hominum vitae duo maxima rerum,
frigora vestis agens, esca famen removens.
humanis rebus non est spes altera prorsus,
hoc munus geminum tolle vel alterutrum.
utraque mittit ovis propellens frigora lanis
eliciensque cibos ubere nectareos.
perfundit totas grata dulcedine venas
ille recens haustus dum liquor est calidus:
cum friget, tritam si vis miscere polentam,
mirans iurabis nectar adesse Iovis.
in solidum vertes, hoc si medicamine tanges,
estque per hoc ipsum dulce quod est acidum.
idque super lignum per densa coagula pressum
a forma teretem suscipit effigiem.
si tenerum comedas, non deerit plena voluptas;
si servare voles, tempora multa potes.
est ubi non modico datus indivisus aeno
solo iure suos coctus alit dominos.
est gens quae mixto facit hinc sibi fercula lardo,
vescitur et crudis crudior ipsa cibis.
mille meas vires perpendens Flandria sollers
mille modis rerum lac facit ire meum.
haec et in oblongum formans lac pingue butyrum
non escam tantum sed facit antidotum,
lactis et emerito replens sua dolia suco
restans fiscellis ius adhibet pateris.
quas ovis et quales mundo ferat utilitates
nostra nec enumerat Flandria, si cupiat.

89. Protendet *B*. 90. saepe *A*: sequi *B*. 91. quo *A*: iam *B*. 95. sufficiant *B*. 100. Eliciens cibos *A*. 103. intritam *B*. 109. deest *B*. 118. escas *B*. 122. patria *B*.

LINUM

Humanis rebus (neque enim tibi vera negamus)
maxima sunt vestis et cibus, ut loqueris.
sed sine te vestes, sine te lac mundus haberet,
absque tuo removens frigus et esuriem.
in te per stultam quod vis transferre rapinam,
omnibus a reliquis id removere cupis
et dum te laudas, immo laudare laboras,
laus tua fit multis invidiosa nimis.
quis numerare queat ad victum quanta ministrat
omnia dans homini larga manus domini,
quot sint ad vestes quae dant animalia pelles?
ingens aut nullus, ut reor, est numerus.
tu quoque testis eris, si tantum vera fateris,
nostrum subsidio dignius esse tuo.
multorum nunquam te contigit usus in escam;
lac quoque vel pressum vel fugiunt liquidum.
est tua cum pellis aut cetera lanea vestis
spernitur, aut vilis aut quia visa gravis.
sic ove saepe caret semperque carere valeret,
sed nunquam lino nudus habetur homo.
denique tam gratum, tam delectabile donum
secum gestat homo tempore perpetuo,
gestat cum cura, cum sollicitudine summa
astringit propius, applicat interius,
applicat interius, nudos adstringit ad artus,
tamquam dicat 'amo quod mihi sic socio.'
si nix aut imber aut turbidus irruit aer,
cautus ovem nostrum tradit ad obsequium;
te tradit ventis obicitque furentibus auris,
te nix perfundit, te quoque grando quatit:
sic intempestus quoties occurrerit aestus
ipsa pati flammas cogeris aerias;
intera lenis preciosaque linea vestis
intus tuta latet, frigore sole caret.
tecta tegunt homines, ligni praecordia cortex
tecta suis nucleis, et mihi servit ovis.

statt 131 *eine leere zeile B.* 133. Quod sunt *B.* 137. Mutorum *B.* 151. tradet *B.* 155. linis *B.*

gloria magna tibi: laetare quod hoc meruisti
 ut natura meis te paret obsequiis.

OVIS

Pro te verba facis, et eget tua gloria verbis:
 quod deest officio corrigis eloquio.
sed frustra tenuas, immo tenuare laboras
 tam commune bonum, quod refugit numerum.
si dant ad vestes animalia plurima pelles,
 pauca ferunt vellus, nulla reor potius.
lana patet cunctis quid conferat utilitatis:
 pauca tamen referam, ne penitus sileam.
per se lana placet, per se nigrescit et albet,
 per se multiplices sponte gerit species.
lana placet simplex: peregrinos adde colores,
 fucos Assyrios exhibet et Tyrios.
non tot habent species famosi vellere Seres;
 par quoque Corycio nostra figura croco;
quantum non sanguis, non sol, non flamma rubescit,
 tam rubeus rutilas veste, Britanne, mea.
dura quidem, tenuis, sine flocco planaque vestis,
 lenis in attactu nec minus intuitu.
Gallia quam quondam veteres dixere comatam
 addit multiplicem velleribus speciem.
gens variae mentis variae vult tegmina vestis,
 veste probans animi mobilitate geri.
mille gerit varias hic in uno tegmine virgas,
 discolor a virga virga sit ut reliqua;
hic reliquum corpus albenti vellere tectus
 hac viret, ast alia flammeus est manica;
hic sua per geminas dum findit pallia caudas,
 rusticus est, nisi sit discolor haec alii.
sed cum multiplicis gens haec tegumenta coloris
 unus quisque suum comparat ad studium,
hunc tamen egregium facit haec provincia pannum

159. laetare *A*: perpende *B*. 163. attenuas *B*. attenuare *B*. 167. quod *B*. 174. coricio *B*, coritio *A*. 178. attactum *B*. intuitum *B*. 182 queri *B*. 183. hoc *B*. 184. a *B*: ut *A*. 185. tectum *B*. 186. ast *A*: est *B*. flammeus in *B*, rubeus et *A*. 190. comparet *A*.

qui viret aut glaucus aut quasi caeruleus.
has vestes dominis gestandas, Flandria, mittis,
has flocco crispans leniter, has solidans.
tu fucare modis mea vellera, Teutone, nescis;
nec tamen ista manus est operosa minus.
docto versatas tenues in pollice lanas
transfers ad tenuis delicias operis.
tinguens, Rhene, leves pulchra nigredine vestes
virginibus mittis ordinibusque sacris.
Suevia dat rufos non tincto vellere pannos;
his regum pelles, his operit proceres.
est color e rufo viridi confectus et albo,
quem flavum dicis, si proprie loqueris:
hanc speciem pannis innatam sponte coloris,
Hister, amando paras regibus ad tunicas.
nobilis haec nulli vestis penetrabilis imbri,
nil habet hoc maius munere Teutonicus.
quod fulget variis distincta coloribus Iris,
tot vestes pingis, o mea lana, modis.
has ovis et plures his affert utilitates,
quas homo mirari, sed numerare nequit.

LINUM

Ut laudetur ovis, species numerare coloris
quae poscat ratio non penitus video.
splendor enim caeli suus est, suus est viror agri;
quod nix albescit, id decor eius erit.
sic diversorum sua laus est forma colorum:
non sit ovis, numquid non color ullus erit?
una quidem lini, sed quae non accidit illi,
exterius simplex, sponte placens species.
teste quidem mundo species haec congrua lino,
et qua terra patet nostra figura placet.
candida sollemnis preciosaque linea vestis,
congrua laetitiae, nescia tristitiae.
nec mortale genus solummodo veste iuvamus,
immo delicias conferimus varias.

192. Nunc *B*. 195. theutone *A*. 199. Tinguens rene *B*, Tinges o rhene *A*. 203. ex *B*. 208. theutonicus *A*. 215. vigor *B*.

floribus intextis aliis subtilia signis
  tergendis manibus lintea porrigimus.
alba superpositis mundi mensalia donis
  sunt epulis regum cultus et auxilium:
quo si quis pannos casu substernat ovinos,
  escas offensi reicient animi.
molliter insertis ornans subsellia plumis
  artus quos perfert linea theca fovet.
sic super extentum candens dat lintea linum
  molliter extructis ambitiosa toris.
his superadde suis extra crispantia villis
  ornamenta: nives assimilare potes.
ditia dependent quae stratum vela coronent;
  hic vivas species dinumerare potes.
cui speciosa suis tentoria nixa columnis,
  regum divitias, aequiparare queas?
nomen et effigies a papilione trahentes
  quis referet pannos, dona rotunda, meos?
bellica cum positis requiescunt agmina castris,
  liber et hinc illuc exspatiatur equus,
linea gramineis extenta palatia campis
  tu scis quam gratum dant procul intuitum.
his tectos domibus non laedit turbo vel aestus;
  praestant praesidium, dulce refrigerium.
publica commoditas, belli pacisque voluptas
  significant maius spirituale decus.
in capitis cultum consumit femina linum,
  ut taceam membris quod facit in reliquis.
quod iactando refers fieri tua vellera vestes,
  si iubeo, penitus non erit ulterius.
dividuae partes panni, per frusta iacentes,
  cum vestem faciunt, quomodo conveniunt?
transit acus pannum, modicum, mea munera, filum
  secum transfixo traiciens oculo:
hoc pacto iunctos unit mea gratia pannos.

228. Tergentum *B*. 231. quod *B*. substernat casus *B*. 232. rennuerent *B*. 237. suis tentora extra *B*. 238. potes — nives *B*. 244. reseret *A*. 245. Bellica compositis *A*. 246. et illuc illuc *B*. 250. Preter presidium *B*. 257. Dividuae *A*: Si videas *B*

ut vestem faciant et speciem capiant.
te quotiens quaevis laedit scissura, recurris
suppliciter nostra rursus egens opera:
tunc submissa taces, tunc sobria, tunc nihil audes,
dilaniata iacens nostraque dona petens.
ornatus rerum, iustissima gloria, linum
quis numerare queat commoda quanta ferat?

OVIS

Multa queunt dici strepitu maiora minori.
magni, si posses, te, video, faceres.
non tibi communes soli, precor, assere laudes;
nos quoque, si sapias, participare sinas.
inter tot vestes propior quia vestis adhaeres,
hinc te magnificas plusque valere putas.
sed nobis et in hoc contingit gloria maior:
sanctorum nudis artubus haeret ovis.
qui mundum fugiunt, qui spe caelestia tangunt,
quos sociat summo libera mens domino,
ad non fallaces quos iam conscripsit honores
in proceres caeli dextra beata dei,
talibus ergo viris est intima lanea vestis:
haec est quippe pio congrua proposito.
hi linum fugiunt, lanas ad corpora stringunt:
quod sibi ni scirent utile, non facerent.
nostrae corruptas pellis foetoribus auras
dicebas laedi, si bene commemini.
ut taceam vestes, reliquas quoque commoditates
quas habet haec pellis usibus in variis,
deputet id pretio cuius sollertia digno
quod petitur sacris apta ministeriis?
si non scribantur libris quae verba leguntur,
ordo sacer sanctae deperit ecclesiae;
non venient quali sunt omnes ordine iussi,
ad lavacrum nascens, ad tumulum moriens:
non iam praesul erit, non Romae papa sedebit,
solvetur synodus ecclesiaeque gradus.
praeterea quicquid sollertia grata reliquit,

263. quevis *B*, levis *A*. *vergl.* 328. 275. continget *B*. 279. At nos *B*. 283. lanas *fehlt B*. 293. homines quali sunt *B*.

quod dedit Aegyptus, quod docet Assyrius,
omnes postremo res gestas a patre primo,
quod fuit ante chaos, seria sive iocos,
quod Phoebus Musas, Musae docuere poetas,
quae ratio stellas, quaeve polos moveat,
quae metuenda malis, quae sint speranda beatis,
quid sit qui rebus praesidet ipse deus,
omnia novit ovis, per oves haec percipit orbis,
ipsa dei patris mystica novit ovis.
vilior in toto pars viscera corpore nostro
dulcem dant usum deliciis hominum.
quadam divina resonat dulcedine chorda
apte iuncta lyrae, psalterio, citharae.
expellit curas sonus hic et mitigat iras,
anxia corda levat, taedia cuncta fugat:
vis inimica fugit possessaque corda relinquit,
cum bene docta manus excitat hos sonitus.
Orpheus, Amphion, cum Musis Phoebus, Arion
dum chordas feriunt, nomen ad astra ferunt.
neu sanctis operam putet hanc vilescere quisquam,
qui stravit Goliath, eius amator erat.
sex quater esse patres cytharas phialasque tenentes
ante dei dicit pagina sacra thronum.
collige quid sit ovis, cuius pars infima caelis
suscipitur, sanctas exhilarans animas.

LINUM

Non opus est verbis. ovium balatibus ipsis
quale melos fiat, nescio quem lateat.
cum pastae redeunt, tremulo stridore requirunt
quos lactent foetus: quam placet ille sonus?
quod parat interdum tergus sibi scriptor ovinum,
est equidem quaevis gloria, sed facilis.
iustior haec vitulis, haec gloria iustior haedis:
haedorum pellis aptior his studiis.
denique fac ovium nunquam genus esse creatum,

302. quae polos *B*. 303. sunt speranda *A*, sint metuenda *B*. 308. Dat dulces usus *B*. 309. resonet *B*. 313. reliquit *B*. 318. goliad *A*, golyat *B*. 319. *vergl. apocal.* 5, 8. 321. intima cedis *B*. 322. Suscipiens *B*. 324. fiat *B*: facias *A*? 327. paret *B*.

hos usus numquid mundus habere nequit?
illud ludibrio dignum reor esse profecto
quod iactas 'sanctis artubus haeret ovis.'
est equidem verum: sed quid, precor, esse decorum
ipsa tibi reputas, corpora si crucias?
ut carnem reprimant, carnem per dura fatigant:
inter dura satis esse meretur ovis.
quaeque molesta ferunt, quae sunt magis aspera quaerunt,
ad victum cineres, ad requiem lapides:
numquid ob hoc aliquis praeferri iure putabit
aut stratis lapides aut Cereri cineres?
ecclesiae tangis mysteria, terrea transis;
caelestes iactas cum patribus citharas,
in laudesque tuas veteres replicando figuras
plectra manu fortis commemoras iuvenis:
quanta ferant sacri lino praeconia libri
forsitan ignoras aut, puto, dissimulas.
in Moysi libris (Moysen recipit canon omnis)
lino legisti mystica multa geri;
multos ipse deus linum sibi poscit in usus:
pauca tamen breviter commemorare placet.
quae domus insignis spatio meritove decoris,
incircumscriptum quae capit aula deum?
et tamen ipse sibi dictans habitacula poni
linum praecipue quaerit in hoc opere.
cortinas istum bis quinque requirit in usum:
ex his quippe domus foederis efficitur.
has mandat Moysi de bysso texere torta:
id genus est lini mollis et egregii.
ille dei populus, venerando cum duce coetus,
tale per hospitium promeruere deum.
de bysso torta velatur foederis arca:
felix tam sacri cura ministerii.
ad rem divinam vadens antistes ad aram
significativis fulget in exuviis.
prima quidem manicis includit brachia strictis:
huic poderis nomen, tendit ad usque pedem.

335. sed deprecor *B*. 343. tangis *A*: transis *B*. 349. In libris moysi *A*. 359. moysi mandat *B*. 364. sancti *B*. 368. poderis]

est quoque talaris, sed dignior, altera vestis:
illustrat penitus hanc color aerius.
non habet haec manicas, dependent huius ad oras
apte permixtis aurea mala nolis.
floribus et variis abaneth spectabile gemmis
subligat has vestes, balteus ille teres.
inde tegens humeros ad renes pervenit ephod,
inscriptas gemmis fertque tribus geminis.
quam logion Graecus, essin quoque dicit Hebraeus,
quinta minor spatio, dignior est merito:
bis sex distinctas formis et nomine gemmas
praefert haec vestis pectore pontificis;
quattuor ordinibus ternas ordo capit unus,
tot titulat patres quot numerat lapides.
hinc caput exornat, sed non tamen omne tiara,
ceu videas sphaerae dividuum mediae.
tegmina nunc restant, femorum quae turpia velant,
cum redit apta sacris hora ministeriis.
nam sacra proposito nil confert lammina nostro
inpendens fronti nomen habens domini:
at reliquas vestes quas hic numeravimus omnes
de bysso fieri praecipit os domini.
ne sit ovis penitus tamen expers muneris huius,
hanc Moyses etiam quaerit ad hanc operam:
praeparat ex ovium rubricato vellere tectum;
id placet arcendis sordibus et pluviis.
id tanquam fictum ne sit mihi suspiciosum,
tu dic assidue quod legis in Moyse.

OVIS

In libris Moysi re vera plurima novi:
plus lino libris invigilavit ovis.
nam tu vel nescis vel, si te scire fateris,
quae restant caeca supprimis invidia.

vergl. Isid. orig. 19, 21, 1. 372. polis *A*, nodis *B*. *vergl. Isid.* 19, 21, 4. 373. abaneth] cingulum sacerdotale rotundum *A*. *vergl. Isid.* 19, 21, 2. 374. has *A*: et *B*. 375. ephoth] superhumerale *A*. *vergl. Isid.* 19, 21, 5. effod *B*. 377. Quod longior *B*. logion] rationale *A*. *vergl. Isid.* 19, 21, 6. *Joseph. ant.* 3, 7, 5. 383. thiara] mitra *A*. *vergl. Isid.* 3, 21, 3. 384. spherae *A*, specie *B*. 391. Desit *B*.

per Moysen plebi dans ritum sacrificandi
quid velit in rebus eligit ipse deus.
munere purgandum mandans in lege reatum
non linum penitus quaerit ad istud opus,
sollemni vero vel tempore cottidiano
placari nostri per sacra vult generis.
si dominum plebi vis, inquit, propiciari,
mactabis geminos de grege lanigeros.
unius ex illis mihi viscera lota cremabis;
exit ab hoc fumo suavis odor domino:
alterius sacras fusus cruor eluit aras,
pontifices mundat pontificumque stolas.
praesulis haec eadem conspersio consecrat aurem,
ipsa pedem dextrum consecrat atque manum.
nos sacramus eam quae sacrat cetera dextram,
cuncta sacrat summi dextera pontificis.
cauda iubetur ovis fieri perfectio sacris;
pars est excelsi reticulum iecoris.
nobis assiduum purgat synagoga reatum,
se redimens agnis cottidie geminis.
quid sacra commemorem totum vulgata per orbem,
quae quot verba ferunt, tot sacramenta gerunt?
pressa domus Iacob graviter sub principe duro
fessa malis gemitum dirigit ad dominum.
ille super regem sua signa manumque potentem
elevat, ut sancto laxet iter populo.
nescia molliri perstat mens dura tyranni
atque decem plagas promeruit validas.
toto non potuit Nilo sitis una levari:
quotquot enim fuerant flumina sanguis erant.
ad populi mensas, ad regis strata vel escas
intrat ubique comes rana, secunda lues.
inde culex moto surrexit in aera limo.
morsibus assiduis musca molesta nimis
quarta replet pestis gravioribus omnia muscis:
infestum canibus id solet esse genus.

401. ritus *B*. 405. Sollempnique vero *B*. cottidianos *B*. 410. dulcis *B*. 411. Altius et sacras *B*. 417. videtur *B*. ferri *B*. 419. Novis *A*, Donis *B*. 427. restant *B*. 433. aere *B*.

invidiosa prius armentis et grege tellus
  clade gravi totis surda remansit agris.
ulceribus subitis turgens Aegyptius omnis
  istud idem passi quaerit opem medici.
septima dura manus nimbis et grandine mixtus
  interimens homines turbo necat pecudes.
quae superant pastae segetes et ligna locustae
  grandine contusos depopulantur agros.
in triduo penitus quos fert non aspicit artus
  ad superos Stygias passus homo tenebras.
per sexus omnes hominum pecorumque priores
  Aegyptus plaga perdidit in decima.
a solio regis ad eum qui clausus in umbris
  lugebat vinctus pervenit hic gladius.
ne tam communis involveret omnia pestis,
  ipse deus dictat plebs sua quid faciat.
pignus, Hebraee, tibi memorabile posteritati,
  ne pereas, inquit, masculus agnus erit.
hunc mihi libatum reverenter et ignibus assum
  hoc celer in facto dente petes avido.
nec discinctus eris, mea cum sacramenta vorabis,
  nec pede nudato nec nisi cum baculo.
restet ab his sacris ne pars vel parva cavebis:
  si tamen hoc aliqua contigit, igne crema.
nec quasi communem temere iactate cruorem:
  constat in hoc penitus sanguine vestra salus.
hac sparsos sanie postes ac limen utrumque
  cetera quae feriet dextera praeteriet.
festa dies illum quoties redit annua festum
  huic referet populo foedere perpetuo.
si sacrata pie penetras mysteria causae,
  non sine conpuncto percipis haec animo.
exilii finis, optata causa quietis
  agnus, promissae pignus erat patriae.
quod mare salvato populo, Pharaone necato,
  obsequii geminum praestitit officium,

443. lina *B*. 445. agros *B*. 446. stygias *A*: penitus *B*.
449. ymbris *B*. 455. Nunc *B*. 463. et *B*. 465. istum *B*.
468. precipis *B*. 471. male *B*. 472. officio *B*.

quodque die nubem meruit, quod noctibus ignem,
et panem caeli colloquiumque dei,
agnus causa fuit: de quo, cum denique desit
auditor dignus, plura loqui fugimus.
quid sit ovis reputans et ovem reverenter honorans
iudice me stultum corrige propositum.

LINUM

In causa recipi pro iudice non solet hostis,
nec lis ista tuo constat in arbitrio.
iusta quidem veteri non deest reverentia legi:
nec pietas illis errat in eloquiis:
sed tamen umbra fuit: praeter moralia quicquid
lex iubet illa vetus, esse scias aliud.
legales umbras contemnimus atque figuras,
ad lucem sancta vertimur ecclesiae.
de nobis eius communis iudicet usus,
quem fidei celebres instituere duces.
quod linum sacras circundat vestibus aras,
nec magni facio nec nihil esse puto.
denique purgati pars abiectissima lini
ad loca sacra piis excubat officiis:
partitis vicibus, quod sol splendendo diebus,
id peragit linum noctibus officium.
iste manu factis splendor dans lumina templis
tu nosti melius quid gerat interius.
cum sacra facturus sacra sumit tegmina praesul,
quis locus est lanis eius in exuviis?
vestes praetereo quas nominat usus ab albo
et quae sacratos rite tegunt humeros.
eius utraque manus solemnis tempore cultus
de lino factis albicat exuviis.
sacro fert etiam crispanti vertice mitram,
ne lino vel in hac parte sui careat.
de lino factam mersus baptismate mitram
pignus homo vitae suscipit in capite.
supplet baptismum perceptaque munera linum
introitumque sacram pandit in ecclesiam.

483. mortalia *B*. 503. crispantem *B*. 507. Simplex *B*.

omen erit felix quoties in vestibus albis
somnia dilectas obtulerint animas.
quid nisi maerores, curas, aliquosve labores
quod mihi significet lanea vestis habet?
caelicolae terris parere leguntur in albis,
si quoties veniunt nuntia laeta ferunt.
desit in hoc etiam tua ne tibi gloria, quidam
angelus est nigris semper in exuviis.
plurima continui revolutis mensibus anni
a Christo dictus festa colit populus:
sed tunc praecipua fervet devotio cura,
cum fit praecipue mentio laetitiae;
tunc penitus penitus aeterna lege cavetur
ne temeret sacros vestis ovina choros;
tunc quoque divino candente per omnia lino
longius a sanctis pulsa recedit ovis;
tunc etiam, de quo tibi plaudis, laniger ordo,
laniger ordo tuus, cui placet hic habitus,
desuper induto solet hunc abscondere lino,
vestes infaustas dissimulando negat.
quilibet incantus sancti consortia coetus
si praesumit ovis horridus exuviis,
protinus hunc animo velut omine saucia maesto
concio sacra fugat a statione sua;
angelicas vestes festo candore nitentes
veste profanari non patiuntur ovis.
non iocus haec aliquis, non lex iubet ista forensis,
sed ritus sancta sanxit in ecclesia,
quae quidnam facto moneat vel clamet in isto,
hoc etiam medii mens capit ingenii.
ad bona nulla malis locus est, ad sancta profanis,
tristibus et laetis res simul esse nequit.
iam nisi pro venia noli mihi fundere verba,
ut supplex parci promereare tibi.
ne modo te vinci pudeat sub iudice tali,
iudicio sanctae vincimus ecclesiae.

511. Quidni commemores *B*. 512. Quid *B*. 515. tibi *fehlt B*.
527. hunc *A*: homo *B*. 541. Nam *B*. 542. Nec *B*.

Hic ovis opprobrio laedi testata silendo
erubuit, tandem subdidit ista tamen.

OVIS

Nec nos diffugimus hac uti iudice, cuius
est agnus sponsus et pater et dominus.
cum sacra facturus sacra sumit tegmina praesul,
dignior extat ovis eius in exuviis.
ecclesias sanctus quas matres nominat usus,
vel vitae merito vel fidei senio,
munere maioris illas extollit honoris
pallia Roma suum dans per apostolicum.
plenum sacratis patet hoc insigne decoris
atque super reliquas eminet exuvias.
simplex a dextra, duplex a parte sinistra
pendens ex humeris mystica dona gerit.
plurima continui revolutis mensibus anni
a Christo dictus festa colit populus:
sed tunc praecipua fervet devotio cura,
cum fit praecipue mentio laetitiae:
sedulus officiis devotae gaudia mentis
tunc aperit proprium quisque per obsequium.
nil adeo sacri testatur gaudia festi
quam sacra festivis clara domus titulis.
tunc preciosa suis surgunt aulaea figuris
ac in se raptis ora tenent animis;
tunc operosa suis Hispana tapetia villis
hinc rubeas, virides inde ferunt species;
tunc statio sacri, tunc ipsa sedilia cleri
demulcent oculos munere tecta meo.
ex solo doctus nostri splendore paratus
percipiet celebrem quilibet esse diem.
ecclesiis septem totum vulganda per orbem
scribit dilectus mystica, Christe, tuus.
haec divina piis oracula plena figuris
qua debet cura suscipit ecclesia.
sed nihil est quod sic pietas amplectitur illic

545. Hoc *B*. 553. Munera *B*. 555. figuris *B*. 558. signa *B*.
572. tacta *B*. 576. dilectus] iohannes *glosse A*.

quam laudes agni quae celebrantur ibi.
quem vidi positum mysteria maxima librum
implebant intus, inquit, et exterius.
nemo tamen clausi signacula solvere libri
et quae verba ferat pandere dignus erat.
notitiae mundi mysteria tanta negari
cum flerem, noli, vox ait una mihi:
munera quae meriti negat inperfectio carni
ille subire potest cui dolus omnis abest.
hinc velut occisi species apparuit agni,
luminibus septem cornibus ac totidem:
at pulcher numero meritis pulcherrimus ordo
patrum viginti quattuor astat ei.
hunc quoque quae celebrant animalia quattuor astant
sedulitate pia, vir leo bos aquila.
quaerenti librum caelo terraeque negatum
porrexit magni dextra sedentis ei.
affectu tacito pia gaudia munere tanto
ille dei populus non tenet ulterius.
corpora prosternunt, in laudes ora resolvunt,
it sonus a cytharis ac odor a phialis.
est, aiunt, agnus hoc fungi munere dignus:
nos moriendo dei reddidit agnus ei.
o vere magnum tibi, trux leo, rapta per agnum
natio, lingua, tribus: nunc sacer est populus.
vocibus et dignis istorum consonat omnis
illius excelsae curia militiae.
qui nulli numero caelestis subiacet ordo
laudes mente pari concinit, agne, tibi.
voces multiplicant quibus atria summa resultant
et labor hic felix taedia nulla capit.
gloria maiestas honor et divina potestas
debentur meritis, agne perempte, tuis.
agne, tibi tellus, tibi subdita servit abyssus;
tu regis, agne, polos inferiusque chaos;
agne, tui iuris haec sunt et quicquid in illis:
talia gratuitae praemia mortis habe.

591. Ac *B.* 598. tulit *B.* 599. et laudes ore *B.* 605. et dictis *B.* 616. T. m. habe premia gratuite *B.*

collige quid paucis ferunt haec sententia verbis
  et vel nunc agno iudice cede polo.
si partem rerum numeras, in cetera linum
  agno iure subest, qui facit omne quod est.
ambiguae vocis ne plus errore traharis,
  hic agnus deus est: hoc tenet alma fides.
si cupis, ad veniam tibi dux ero; tu modo linguam
  magniloquam sano corrige consilio.
possunt cuncta tibi suffragia nostra mereri:
  saepe deum miseris conciliavit ovis.

Hic stupuit primum tenuitque silentia linum;
  inde recollecto subdidit haec animo.

LINUM

Certa fides nobis commendat dicta Iohannis,
  prae reliquis caro debita discipulo.
desipit ille tamen neque tangit mente Iohannem,
  fetum si quis ovis credit inesse polis.
ridiculum vere, si sancti verba prophetae
  ingenio teneri corde capis pueri.
alitibus numquid pecorique ferisque paravit
  regna superna deus perpetuumque decus?
inter viventes soli ratione vigentes
  has sedes adeunt, hanc requiem capiunt.
ranas e caelo submisit visio Petro:
  inter caelicolas has ideo reputas?
est aliquid porro cur se similaverit agno:
  nec tamen ipse tulit vellera factus ovis:
significativam speciem vidisse prophetam
  ius erat: id typicis convenit eloquiis.
si debetur ovi pro munere gloria tali,
  et propter nomen vermis habebit idem.
tum quoque serpentis, tum nomine saepe leonis
  significamus eum: sed tamen est neutrum.
sed pia divino non deest reverentia lino,
  quam res vera facit, non vetus umbra parit.

619. patrem *B*. 620. quod facit *B*. 623. dummodo *B*. 634. sapis *B*. 635. pecori *B*. 641. cur assimilaverit *B*. 642. Nec tulit ipse tamen *B*. 647. Tu *B*. tu nomine *B*. 647. Significans illum *B*.

hanc, nisi quod nostrum mysteria tanta relatum
transcendunt, breviter commemoare placet.
interea cordi tu suggere, Christe, vel ori,
illi quid sapiat, huic quoque quid referat.
vera deo patri deus hostia filius illi
arbore restituit arbore quod periit.
ante creatorem gratum direxit odorem
fumus quem talis victima sponte dedit.
hostia Christus erat, Christus tamen ipse litabat:
a domino factum corda stupent hominum.
hic semel oblatus solvit quoscunque reatus
traxit homo proprio seu generis vitio.
hostem delusum mors haec eludere nondum
desinit ablatis cottidie spoliis.
illa facit virtus modo saepe resurgere rursus
mortibus absorptas innumeris animas.
haec quasi preeteritas iam tersit gratia culpas
in nondum natis ecclesiae populis.
quos primos habuit, quos tandem mundus habebit,
electos omnes liberat ista fides.
ille semel fusus redimendi sanguis ad usus
funditur in sancta saepius ecclesia.
quod duce perfidia tunc natio fecit iniqua,
per pietatis opus transiit in melius.
dividit iste calix illius dona liquoris
quo perfusa fuit lancea quae pupugit.
qua pietate deum celavit corpore tectum,
hac tegit humanis haec sacra nunc oculis.
exhorreret homo carnes cum sanguine crudo
et consanguineos nollet inire cibos.
crede tamen penitus versis ab origine rebus
esse creaturas haec elementa novas.
ni foret hoc aliud, nequaquam sumeret illud
vel malus ad poenam vel bonus ad veniam;
non animas aleret, si panis corporis esset,
nec mala conpuncto tergeret ex animo;
non vires homini ferret, non tolleret hosti,

666. absortas *AB*. 669. Quos primus tenuit *B*.

non carnem mentis subderet imperiis.
o quam sunt tuti, quam carnis lege soluti,
quam sibi dissimiles his epulis homines!
ebria corda pio rapit ad caelestia voto,
si fuerit sumptus, ut decet, iste cibus.
quid miraris homo? deus est in corpore vero:
unde prius redimit, inde modo reficit.
his tamen in verbis ridet sapientia carnis
et divina suis subdere vult regulis.
dicunt 'quae ratio, quis in his deprenditur ordo?'
ore volunt illi claudere iura dei,
et dum quem nequeunt montem transscendere tangunt,
in proprias mortes inde movent lapides.
istam neve tamen contemnant simplicitatem,
non caret invicta res ratione pia,
nec desunt nostra corrupti temporis aevo
qui meruere datum caelitus indicium.
hoc igitur donum cui lex aut gratia nullum,
singula si reputes, assimilare potest,
hoc inquam donum per quod cor transit in unum,
totius ecclesiae corpus agente fide,
linum de caelis, a lino suscipit orbis,
in lino virtus hoc operatur opus.
quae neque tu numeres fert mundus plurima dives,
ad quorum species mens oculusque stupet:
sed tamen e cunctis haec lino gratia cessit
ut te iungat, homo, se mediante deo.
huius in officii tremit actu curia caeli,
circumstans studio sacra locumque pio;
istud adorat opus caeli perterrita virtus
et linum sacris circuit officiis.
at tu qui terris medius caelestia iungis,
ad tantum cantus vade, minister, opus.
discute rem sollers, quid tu sis quidque quod offers,
quos habeas sacri participes operis.
serva sacratum toties hoc munere linum,

697. deprehenditur *A*. 699. quae *B*. 700. ruunt *B*. 701. contempnunt *B*. 703. desinunt *B*. 706. si reputes *A*: connumerans *B*. 715. officio *B*. 716. Circumstat *B*. 721. res *B*.

nec temere tracta, corque manumque lava.
saepius antiqui nostrique fidelibus aevi
hic pannus sacris claruit indiciis.
at modo tam pannum quam quicquid spectat in usum
altaris nullo respiciunt studio.
pontifices aliis praefert lex sacra ministris:
ipsi quid faciant sollicite videant.
hinc lino quantae debetur cautio curae
saepe sacerdotes ipsa monendo doces;
inde minus cautis poenas ex lege minaris,
quas tibi, si perstas, iudice te metuas.

His ovis assurgit et quae sata presserat exit
nec vinci penitus fassa reclamat adhuc.

OVIS

Istud ad officium mea mittit iussio linum
et nostrum munus est honor iste tuus.
nos alii nostrum ius est transcribere donum,
si nos ingrato respicias oculo?

LINUM

Est vetus et tritum vulgari scemate verbum
'quicquid novit ovis, penna ministrat avis.'

OVIS

Quandoquidem missis sermonibus atque remissis
inter nos tanto nil agitur spatio,
nunc aliis saltem placeat committere litem
atque fide digni iudicio populi.
monachus angelicam gerit hoc in corpore vitam,
vivens, Christe, tibi, mortuus ipse sibi:
hunc et opus sanctum facit et discretio cautum;
huic credi nostrum censeo iudicium.

LINUM

Hanc requiem laedi, tam sancta silentia rumpi,
flecti fixa pio pectora proposito,
a mentis requie per iurgia nostra redire
tam sanctas animos arbitror esse nefas.

731. 732 *fehlen B.* 736. falsa *A*, fessa *B.* 737. nutrit *B.*
742. novit *A*: habebit *B.*

hanc potius causam regis referamus ad aulam:
aptior est istis curia litigiis.

OVIS

Mystica cum tangat potius contentio nostra,
non mihi ius aulae posco, sed ecclesiae.

LINUM

Si modo sic perstast, neque rex neque iudicet abbas:
suspiciosa tibi curia, cella mihi.
quorum iudiciis vel vivit vel perit orbis,
ecclesiae claves invoco pontifices.
quid sit mensa dei norunt, quid sit peeus, ipsi;
oscula saepe mihi corde ferunt humili.
dinumerent ergo quid agant sine munere nostro,
omnes si nostras tollimus exuvias.

OVIS

Sic eat ut cupimus, si nos quoque nostra negamus?
sed quid opus verbis? res patet absque minis.
non nisi consultis primum metropolitanis
pontifices dicant quid super hoc statuant.

Erwähnt wird dieses gedicht ohne den namen des verfaſsers von Haug von Trimberg im Registrum multorum auctorum (Monatsber. der k. preuss. ak. der wiss. 1854 *s.* 156*), als ein werk des Hermannus contractus von dem sogenannten anonymus Mellicensis kap.* 91. *um seines verfaſsers willen und weil es nicht ganz leer an inhalt ist schien es mir werth einmal vollständig abgedruckt zu werden.*

Mit A bezeichne ich die dem 12*n jh. angehörende Brüsseler handschrift* 10046. *nachdem der freiherr von Reiffenberg in dem Bulletin de l'ac. de Bruxelles* 1842 *s.* 144. 223 *von dieser handschrift nachricht gegeben hatte, lieſs herr Du Méril in seinen Poésies populaires latines antérieures au douzième siècle (Paris* 1843) *s.* 379—399 *aus ihr dieses gedicht ziemlich genau bis zum* 699 *n verse abdrucken, nach welchem er die teuschende unterschrift setzt, Caetera desunt: in der handschrift, die mir Theodor Oehler vor vielen jahren abgeschrieben hat, fehlt nichts.*

B ist die Lambacher handschrift 100. *ebenfalls aus dem* 12*n*

758. mihi *B:* in *A.* 765. agent *A.* 767. Dikerat id cupimus *B.*
770. dicant *A:* videant *B.* *nach* 770 finit *A.*

jahrhundert; nachricht gab von ihr Mone in seinem Anzeiger zur kunde der deutschen vorzeit 1838 *s.* 612 *f.; abschrift verdanke ich herrn professor Dümmler.* H.

NOCHMALS ÜBER FREIDANK.

Wo ich nicht irre, hat Müllenhoff gelegentlich bemerkt, Freidank sei bürgerlichen standes gewesen. ich weifs nicht worauf sich diese behauptung stützt: in dem gedicht selbst kann ich keine hindeutung darauf entdecken. die benennung *her* und *meister* schwankt und kann nicht entscheiden, wie ich schon (Zweiter nachtrag 5) gezeigt habe. ein Freidank kommt in früherer zeit nicht vor, und der dichter gab sich seiner gesinnung wegen und weil er unbekannt bleiben wollte diesen namen: seinen ursprünglichen, den er natürlich nicht ablegte, kennen wir nicht, auf diesen aber kommt es hier an. erst gegen das ende des jahrhunderts bewirkte das ansehen zu dem das gedicht allmälich gelangte dafs Freidank als eigenname eingeführt ward und zwar bei adlichen sowohl als nichtadlichen. J. V. Zingerle (die personennamen Tirols im mittelalter) weist nach *Freidank von Stegen* (1295), *Freidank Stuck* (1316), *Freidank von Vals* (1336), *Freidank von Auchhofen* (1358), *Freidank Göfsl* (1454). andere nachweisungen aus dem 14n jahrhundert habe ich in der einleitung XLI gegeben. in das ende des 13n jh. fällt auch *Bernhart Freidanks* entstellung des alten gedichts. auch dieser, den Helbling allein kennt, war wohl ein Tiroler. schon an sich ist unwahrscheinlich dafs dem bedeutungsvollen namen des alten dichters noch ein gewöhnlicher hinzugefügt worden, allein auch die welche ihm näher standen, Rudolf von Ems, Raumeland, der Tanhauser, wifsen davon nichts, und sein verehrer, Hugo von Trimberg, der ihn so oft nennt, würde nicht versäumt haben den vollständigen namen vorzubringen.

Ich kann ein ähnliches verhältnis nachweisen. der verfafser einiger lehrgedichte, wovon das erste *daz alte swert* heifst, nennt sich selbst am schlufs desselben *meister Altswert,* anderwärts auch *Niemant* (78, 30), und wird von den leuten so genannt (95, 21. 110, 31). ohne zweifel ist der sonst nirgend vorkommende name *Altswert* nicht sein wirklicher: er will, weil er, wie Freidank, die